



**SLUB**

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id404272762/1>

gefördert von der  
Deutschen Forschungsgemeinschaft

**DFG**




Q. D. B. V.  
DISSERTATIO POLITICA,  
*De*  
HOMAGIO,

*Quam*  
Consensu Amplissimæ Facultatis  
Philosophicæ

*In*  
ALMA WITTEBERGENSI,  
PRÆSES

M. MAURITIUS ngel/  
Geith. Misn.

*&*  
RESPONDENS

DAVID GABRIEL ngel/  
Chemnit. Misn.

Placidæ eruditorum disquisitioni  
publice ac decenter submittant,  
D. VIII. August. A. O. R. MDCXCVI.  
H. L. Q. C.



WITTENBERGÆ,  
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.

7clm | l. 001 | MAG | P3 O. D. B. V.

DISECTA POLITICA

HOMAGIO

Contento Anaphorico Facultatis

ALMA WITTBERGENSI

M. MAURITIO

DAVID GABRIEL

Prætor ordinarius

D. Mag. Joh. Beckmann

VERLAGSSTELLE

JOHANNES KEIL

2009 8 020 636

mit 52 angeh. Schriften



I. N. J.



Uanquam subditorum officium atque pietas semper exigit, ut diligenter in id incumbant, quomodo fidem, obedientiam & charitatem Principi ac Magistratui suo præstare queant, exindeque etiam non minus pro illius salute ac pro sua felicitate excubare & pugnare necesse habeant: quia tamen homines semper ad deteriora feruntur, in Europæ regionibus, ubi homines magis libertatem sectantur, ut habet Arist. 7. Polit. 7. receptum est, ut subditi arctiori ne-

A 2      xii

*xu cum Imperantibus devinciuntur, qui commune voce Homagii denominari solet. De quo impræsens agere instituti nostri fert ratio. Quo autem id fauste atque feliciter fiat, summum veneramur Numen, velit cœptis nostris clementer adesse, atque ea ad scopum salutarem dirigere.*

§. I.

**P**RIUSQUAM verò rem aggredimur ipsam, circa evolutionem vocabuli *Homagii* ut simus solliciti, necessarium ducimus. Trahit autem *Homagium* secundum nonnullos ortum suum à Græco vocabulo *ὁμῶν*, quod idem significat ac unio, quippe quòd subditi cum Imperantibus vi hujus intimius quasi uniantur: alii contra deductum illud volunt ab *ὁμῶν*, i. e. juro, quia nempe mediante juramento præstari solet; aliis iterum dicitur ab *ὁμῶν* simul & *ἅγιον* sacrum seu sanctum, quia commune quasi sacrum seu juramentum est, quæ ultima sententia etiam Althuf. placere videtur Polit. cap. XX. de homag. & promiss. n. 5. Verùm hæc significatio optimè ad istum quadrare modum mihi videtur, quando scilicet ab utrisque, Imperantibus & subditis simul hoc juramentum præstatur, sic videlicet, ut Magistratus seu Imperantes prius jurent subditis, & deinceps subditi Magistratui seu Imperantibus. Ast plerumque non distinguitur à Panagio, sed promiscue & indifferenter cum eo sumitur. Alii porrò originem hujus vocabuli derivare volunt à voce Longobardorum *Hominio*, quia illud præstans, homo, id est, subditus esse ostenditur. Aliis vicissim barbarè dictum videtur, ita, ut idem involvat, ac ho-

ho-

hominis ligium, i. e. obligationem servitiorum, quia is, qui dicit hoc juramentum, ad quælibet officia licita Domino suo exhibenda sese obligat. *Maul. de Homag. Tit. n. 4.*

## §. II.

Liceat autem hoc loco melioris doctrinæ causâ *ἡσυχαστικῶς* *πρὸς* committere, & varias appellationes, quæ alias communi vocabulo Synonymias denominari solent, variis acceptionibus, seu, quod idem est, Homonymiæ, præmittere. Dantur autem apud autores, & imprimis Juris-Consultos hujus vocabuli appellationes variæ. (1.) Enim solet appellari *hominium*, quam denominationem etiam priori, nempe homagio, præfert *Jeremias Setserus in Tract. de Jurament. pag. 217. rectius, dicit habetur in antiqua decretali hominium, & plerique alii autores melius ita loquuntur.* (2.) Vocatur vocabulo Græcorum *Panagium*, à *παν* omne, & *ἅγιον* sanctum, quod commune significat juramentum, sive omnium juramentum. (3.) Dicitur *Baronagium*, quasi Virorum juramentum, quandoquidem pro Viro usurpatur vox Baronis, sicut *Reinking. Lib. I. de Regim. Sec. & Eccl. Class. IV. cap. XV. §. 8. p. 10. tradit.* Sed quia Baro significat virum aliquem magnum, autoritate gravem, & conspicuum, quod vocabulum Hispanorum *Varon* innuit, à quo quidam hoc vocabulum deductum volunt, hinc potius illud juramentum per Baronagium mihi innui videtur, quod præstatur à Viris primariis atque conspicuis. (4.) Nominatur *juramentum subjectionis*, quia id præstans se subditum profitetur. (5.) Appellatur *juramentum fidelitatis*, per quod nempe ad fidelitatem & obedientiam jurantes se obstringunt, & quæ ejusmodi aliæ sunt appellationes, quas videre licet apud *Ernest. Gockel. de Europ. Regib. pag. 477. & alios.* Germanice vocatur *Huldigung* / quasi dicas pactum fidelitatis, *Ein Bedinge hold und treu zu seyn* / item: *Eyd der Treue* / *Homaginal-Pflicht.* Gallis dicitur *Hommage.*

§. III. Non

### §. III.

Non uno verò semper modo solet hocce vocabulum, *Homagium*, sumi atque usurpari, sed varias induit significaciones, quod etiam *Wehner. in Pract. observat. verb. Lands- oder Erbhuldigung*/observavit, quando dicit, vocabulum hoc esse æquivocum. *Et Dn. Job. Bruning. in disput. sua de Homag. Conclus. 3.* undecim recenset significaciones & acceptiones hujus vocis, quas omnes hic allegare pagellarum angustia haud pati videtur. Tantummodo communissimas impræsens adducere significaciones pro ratione instituti nostri sufficiet. Sic usurpatur (1.) pro juramento fidelitatis & Vasallagii, quod Vasallus beneficii sui ratione domino directo præstat. Sic de consuetudine & moribus Imperii, Duces, Principes & Comites Germaniæ, qui status sunt imperii, Imperatori præstant juramentum fidelitatis, ratione feudi, in quo *Treu/hold uñ gewärtig zu seyn*/promittunt, sicut patet id ex formula, quam ex *Reinkingii Lib. 1. Class. 2. cap. 2. n. 202. de R. S. S. J. R.* melioris fidei causa, hic allegabimus: *Wir hernach benandte N. N. als bevollmächtigte Gewalthaber des Durchlauchtigsten ꝛ. ꝛ. unsers gnädigen Herrn / geloben und schweren in Krafft des schriftl. Gewalts / den wir zur Kanzelen übergeben / auff das Heil. Evangelium / das wir hier leiblich berühren / und die Seele hochgedachtes / daß ihre F. G. von der Lehen wegen / die ihrer F. G. iezo verliehen und gereicht werden / nun hinfort von dieser Stunden an / sich an den Allerdurchlauchtigsten / Großmächtigsten und unüberwindlichsten Fürsten*

sten



sten und Herrn / Herrn R. R. Römischen Käy-  
ser und König / und dem Reich / Treu / hold / un-  
gewertig / auch nimmermehr wissentlich in dem  
Rath seyn sol noch will / da etwas wieder E.  
Käys. Majestät Person / Ehre / Würde und  
Stand fürgenommen oder gehandelt wird /  
nach darein willigen oder befehlen in einigen  
Weg / sondern Käyserlicher Majestät und des  
Reichs-Ehre / Nutz und Frommen betrachten  
und befördern nach allem Ihrem Vermögen /  
und ob J. J. G. irgends verstünden / daß etwas  
fürgenommen oder gehandelt würde wieder E.  
Käyserl. Majestät Person / oder das H. Reich /  
denselben wollen J. J. G. getreulich vorseyn / und  
Ew. K. Majestät dessen unverzüglich warnen /  
und sonsten alles das thun / was sich einem ge-  
treuen Fürsten gegen E. Käyserl. Majestät / und  
dem Heil. Reich gebühret / von Recht und Ge-  
wohnheit wegen / ohne Argelist und Gefehrde /  
als J. J. G. Gott helffe und das H. Evangelium.

(2) Pro juramento reciproco, quando scilicet speciali pacto  
aut consuetudine inductum, ut Domini seu Imperantes p-  
us jurent, vel stipulata manu aut literis datis promittant,  
quod jura, libertates & privilegia subditorum facta rectaque  
conservare & tueri velint, qui mos hodie fere in omnibus or-  
bis Christiani regnis observatur, teste *Reinking. Lib. 1. Class. 3.  
cap. 9. n. 16. seqq.* Sic Rex Hispanorum, quando inauguratur,  
ante omnia juramento se suis obstringit. *Vid. Ant. Libell. de  
jure Magistr. in subdit. f. 63.* Ita & Rex Sveciæ juramento se suis  
devin-

devincit, & formam quidem juramenti Regis Sveciæ solennem septem insignia capita complectentem anno 1545. Dræda typis excusam & pluribus à David Chytræo in *Chron. An. 93. 94. 95.* expositam esse constat. *Vid. Alt. Polit. c. 19. n. 43.* Pari quoque modo Rex Gallia, cum solenni actu ungitur, jurejurando se obligat, cujus formam luculenter exponit *Auct. cit. libell. de jure Magistr. f. 63.* (3.) Pro fœdere seu juramento sociali, quando par pari, vicinus vicino jurat, & fœdus inter se pangunt. Quanquam hæc juramenta salvo aliorum judicio *Reinkingius lib. I. Class. V. cap. IV. de R. S. 7. R.* non ad homagia vult referre, quia scilicet nullum in ejusmodi jurandi formulis subjectionis argumentum deprehenditur; Sed abusive potius & improprie in hoc sensu usurpatum dicitur. Is enim qui hoc fœdus & necessitudinem hanc contrahit, non se clientem, sed amicum simpliciter fore profitetur. *Vid. Jacob. Mart. Polit. p. 396.* (4.) Pro juramento tali, quod à subditis præstatur imperantibus, quæ ultima significatio ad præsens nostrum institutum quoque proximè accedit.

#### §. IV.

Nunc statim etiam definitionem, ut quilibet eò facilius videat, quid sit homagiū, subnectere volumus; Definitur autē communiter ita: *Homagium est juramentum, quod subditi præstant Imperantibus, sub quorum Imperio habitant, in obedientia, fidelitatis & observantia certitudinem.* Sive ut *Hertius in Elem. Prud. Civ. P. 1. S. 6. §. 24.* describit. *Homagium est asseveratio religiosa subditorum, de fide, obsequio, & reverentiâ summo imperanti præstandis.*

#### §. V.

Definivimus autem in priori definitione homagium per juramentum, quia istud communiter mediante juramento præstari solet, nisi consuetudine forsitan aut pacto aliud introductum sit. Sufficere quidem potest promissum absque juramento quod fit, quippe quod etiam ad præstanda promissa obligat, majorem autem vis juramenti obtinet auctoritatem.

Nemo

Nemo enim facile tam impius erit, ut contra juramentum reclamante conscientia quicquam designare audeat, nisi DEI poenam hominumque ignominiam praesentissimam habere velit, ut *Arist. Lib. Rhet. ad Alexand. c. 18.* Et Sophocles in *hypo-*  
*dam.*

Apposito jurejurando cautior & diligentior  
Animus fit, à duobus enim sibi cavet,  
Et ne laedat amicos, & ne peccet in DEOS.

### §. VI.

Ut verò rem eò penitus evolvamur, in singula definitionis membra, quantum pagellarum permittet angustia, inquirere volumus. Primo autem loco *causa efficiens* hujus homagii consideranda erit. Et istam secundum definitionem nostram *ipse Summus Princeps, sive Imperans*, constituet, quippe qui subditis, ut fidelitatem jurent, imperat; hocque in nostris Europæis Regionibus fit toties, quoties vacante imperio vel regno, quocunque id eveniat modo, successione, aut electione, novo traduntur Principi Imperii gubernacula. Non autem necesse habent subditi, ut sua sponte Principem, adeant, ipsique subjectionis juramentum deferant, sed sufficit hoc ab istis tunc praestari, quando Imperantes istud exigunt, sive id fiat statim sub ingressu Imperii, sive post praeterlapsam aliquod tempus. Sic in nonnullis regnis statim in ipso coronationis actu fidelitas subditorum juramento confirmatur. Exempli loco potest adduci Rex Danicus Fredericus III. cui Senatus primò, deinde nobiles, postea Clerici, & tandem rusticus status juratam fidelitatem promiserunt.  
*Vid. Theat. Europ. part. 6.*

### §. VII.

Necesse autem non est, ut Princeps ubique in propria persona hoc juramentum exigat, sed potest id fieri *per Commissarios*, qui speciale mandatum accipiunt, ut Principis & Principalis sui partes agant. Sic anno 1562. absens Ferdinandus I. Imperator per Austriacum Maximilianum, Commissarium,  
B rium,

rium, & Huldericum Zasium lectorem formulæ jurandi, ab Ulmanis homagium exegisse legitur. Idem quoque factum est anno 1660. ubi Cæsaream Majestatem, Leopoldum, Comes Kõnigseckius repræsentabat, & Jacobus Perfusius prælegens verba ab iisdem Ulmensibus homagium exigebant.

§. VII.

Sequitur nunc, ut consideremus etiam *causam materialem sive subjectum* homagii, cui istud præstare incumbit. Et hoc absolvunt omnes, quicunque modo in subditorum catalogum sunt relati, *sive sint Laici, sive Ecclesiastici*. Clerici enim pari ratione, ac alii subditi, de jure divino regulariter homagium jurare tenentur, siquidem & illis dictum sit: *Subditi estote omni humane ordinationi* 1. Pet. 2. v. 13. hiñc exigentibus Imperantibus homagii præstationem detrectare non possunt, nisi forsan istud contineat quippiam, quod legibus officii in verbo DEI præscriptis sit contrarium. Idque etiam tam rationibus, quam exemplis probare possumus. Rationes quod attinet, quibus demonstrari potest tale Clericorum juramentum, istæ sunt sequentes. (1.) Quia isti æque ac alii jurisdictioni Magistratus Politici sunt subjecti. (2.) Si Magistratus Politicus juramentum testimonii, purgationis &c. in causis politicis Ecclesiæ ministro potest imponere, quidni etiam fidelitatis juramentum? (3.) Si auctoritati Magistratus ac dignitati ejus nihil decedit, quando in leges regni fundamentales & capitulationes Imperii jurat; Ecclesiæ quoque Ministri auctoritati vel dignitati aliquid derogari minimè potest, si Magistratui fidelitatis juramentum præstat. (4.) Omnes etiam hujus juramenti causæ sunt honestæ ac legitimæ. *Vid. Geehard. LL. Theol. de Mag. Polit. p. m. 1289.* Quod attinet exempla, militant tam ex prophanis historiis, quam ex Scriptura S. desumpta pro hujus juramenti probatione. Ex Sacris literis adducimus istum locum 2. Par. 23. v. 2. Ubi etiam Levitas Regi Joas jurasse legimus. *Centuriones enim ex mandato Jojada congregavit Levitas de cunctis urbibus Israel, & Principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem, & inivit omnis multitudo*

pa-

*patum in domo DEI cum Rege.* Ex prophanis notum est exem-  
plum Regni Danici, in quo omnes Clerici novo Regi *jura-*  
*mentum fidelitatis* dicunt, *Theatr. Europ. part. 6. Sic teste Reinking.*  
*Lib. I. Class. V. cap. IV.* Regi Daniae & Norvegiae Friderico III.  
omnes pastores sine discrimine anno 1648. id praestiterunt.  
Idem fiebat quoque in Anglia anno 1661. ubi Episcopi regni  
Anglicani homagium jurabant. Quamprimum enim Rex  
Carolus II. confederat, accedebat Archiepiscopus Regiae suae  
Majestati fausta quaeque apprecans, & juramentum subje-  
ctionis dicens: quod etiam omnes Episcopi, & omnes opti-  
mates, imò & ipse Regius frater, Princeps de Jorc, in genua  
procumbentes praestabant. *Vid. Casius in der gefrönt. Majest.*  
Interim tamen rectius fecisse putatur pius & Christianus Ma-  
gistratus seu Princeps, si stricto jure non utatur, & Ecclesiae  
ministris hoc juramentum non imponat, cujus sententiae et-  
iam *Gerhard. in LL. Theol. de Magist. Polit. p. m. 1281.* (1) Enim,  
si suorum subditorum suamque ipsius animam fidelitati at-  
que curae ipsorum committit, deque illorum fide hac in re  
non dubitat, ecur de fidelitate istorum in Politicis & tem-  
poralibus dubitare velit? Bonorum siquidem verba singula  
dicuntur esse juramenta. (2.) Magistratus illi, qui absolu-  
tam & *divroegroegroegro* potestatem in ministerium Ecclesiasti-  
cum sibi vendicant, hoc juramento fidelitatis facile abuti po-  
terunt, & in Ecclesiasticis simplicem & absolutam subje-  
ctionem ab Ecclesiae ministris exigere. (3.) Apud auditores suos  
facile fidei, auctoritati atque dignitati ministerii Ecclesiastici  
aliquid per istud detrahi potest, cum ipsis certi illius juramen-  
ti limites sint ignoti. (4.) In omnibus Ecclesiis & Rebus pu-  
blicis benè constitutis hic mos exigendi juramentum ab Ec-  
clesiae ministris nondum obtinuit, ideoque nec in eas intro-  
ducendus. Argentinae quid fiat notum est, id verò cum  
diuturna consuetudine invaluerit, non potest, nec debet aliis  
Rebus publicis & Ecclesiis, in quibus mos ille nondum usu ve-  
nit, quicquam praedjudicare. Istos, qui morem hunc etiam  
in Haslia obtinere dicunt *Theod. Reinking. refutat, dicens, se*

nunquam vidisse in Hassia Pastores urbanos aut paganos bey Einnehmung der Huldigung juramentum subjectionis prestare, cum tamen non semel istis actibus interfuerit. Lib. I. Class. V. cap. IV. Exempti quoque sunt ab hujus juramenti pronunciatione mulieres atque liberi, qui adhuc sub Patria vivunt potestate, hi ut tale juramentum dicant non est necesse, siquidem id, quod à Patre præstatur homagium, etiam obligat filios, quippe quod filius pars veluti Patris, nisi virilem jam induerit ætatem, qua ab ipso separetur, ut habet Arist. 1. M. M. 34. Idem quoque censendum est de mulieribus, juramentum enim à marito præstitum, à muliere etiam dictum esse putatur, quia scilicet vir est Dominus atque caput mulieris.

§. IX.

Objectum hujus homagii, seu materia, circa quam istud versatur, sunt *res honeste atque licite*. Non enim istud debet esse conjuratio ad flagitia & scelera, sive iniquitatis aliquod vinculum, sed potius honestatis atque fidelitatis, quod scilicet jurans sibi curæ velit esse corpus, vitam, honorem & commodum Domini (*Vid. Maul. de Homag.*) adeò etiam, ut contra omnem omninò hominem hoc juramento Domino sit obstrictus, & contra fratrem, imò ipsum Parentem suum Domino opem ferre teneatur, sicut videre est apud *Job. Setserum de Juram. Lib. II. c. II. p. 556.* quanquam hanc limitationem atque explicationem iterum hic adjecit: hoc scilicet accipiendum esse de auxilio Domino præstando, non qui alium offendit, sed qui ipse offenditur, & quidem injustè.

§. X.

Hinc etiam de forma dispiciendum est. Pro ista verò *tum Imperantes, tum subditi* verba mentemque formulæ jurandi probè ut observent necesse est; num scilicet secundum veterem & usitatam consuetudinem concepta, an verò novè forsan aliquid, quod ab antiqua usitata receptaque formula recedit, in ea contineatur? quod si deviat, hac in re Principi id molienti contradici potest; à formula enim usitata & recepta invitis subditis recedendum non est. *Vid. Besold. Thef. Pract.*

*Pract. voc. Huldigung. In Ludolph. Schrad. Consil. 21. Pro-*  
*pterea novitates in actu fidelitatis maxime sunt vitandæ, cum*  
*facile generare possint discordias inter Dominum & subdi-*  
*tos, ut post alios prudenter monet Cassp. Ant. Thesaur. quest. 38.*  
*n. 11. 12. Recensentur autem ab autoribus variæ homagio-*  
*rum formulæ, quas omnes hic allegare nec instituti nostri*  
*est; nec etiam pagellarum angustia pati videtur. Vid. Gock. de*  
*Europ. Regib. p. 482. seqq. & alios. Unicam tantummodo im-*  
*præfens adducere sufficiet, quam Georg. Henric. Springs-*  
*feld. J.C. in Tractatu de Apanagio. C. IX. pag. 218. tanquam vulga-*  
*rem & receptam hodie in Saxonia nostra tradit.* Ihr solt  
geloben und schweren, daß ihr dem Durchl. Für-  
sten und Herrn etc. Herzogen zu Sachsen / Zü-  
lich / Cleve und Berg / etc. unserm gnädigen  
Churfürsten und Herrn / getreu / gehorsam / ge-  
folgig / un gewärtig seyn / auch ihrer Churfürstl.  
Gnaden Schaden und Nachtheil warnen und  
wenden / frommen und bestes werben / auch alle  
das thun und leisten wollet was einem getreuen  
Unterthanen gegen seinen Erblandes Fürsten  
und Herrn von Gottes / Rechts / und Ge-  
wonheit wegen zustehet / eignet und gebühret.  
Da aber ihrer Fürstl. Gnaden und derselben Er-  
ben / männlichen Stammes / nach dem Willen  
des Allmächtigen / gänzlich absterben würden /  
welches aber seine Göttl. Allmacht zu verhüten  
und abzuwenden gnädiglich geruhe / alsdann an  
die löbl. Chur- und Fürstl. Häuser Sachsen und  
Hessen / auch dero männlichen Leibes- Erben /  
als euere Erbherren und Landes- Fürsten / nach

klarer Anweisung Ihrer Churfürstl. Gn. und  
dero Hochlöbl. Vorfahren mit einander auffge-  
richteten/ und also wohlhergebrachten Erbver-  
brüderung/ auch darüber vollzogene Verträge/  
und insonderheit der Kayserl. erfolgten Beleh-  
nung/ ihr euch unterthäniglich halten / auch  
nach erreigneten einem oder dem andern Fall/  
ihren Fürstlichen Gnaden weniger nicht un-  
terthänig / gehorsam / hold und gewertig zu  
seyn / und dieselbe vor Euere Erblandes- Für-  
sten und Herrn ehren/ erkennen/ und alles das-  
jenige thun wollet/ was einem getreuen Unter-  
than von Gott und Rechtes wegen zustehet/  
und gebühret / und darwieder wissentlich nicht  
das geringste thun oder fürnehmen/ noch so viel  
an euch / zu thun / und zu verrichten verstaten.

**Eyd.**

Alles was ich geredet und gelobet habe / wie  
mir das unterschiedl. vorgesaget worden ist/ das  
will ich stet/ fest/ und unwiederbrüchlich und ge-  
treulich ohne Gefehrde halten / als mir Gott  
helffe/ durch Jesum Christum seinen Sohn/ un-  
sern HErrn und Heyland/ Amen.

§. XI.

Ex hoc itaq; præstito juramento colligere licet subjectionē  
& superioritatem, non autem à priori, sed à posteriori. Non enim  
ideo quis censetur subditus, quia jurat, sed quia subditus est, ideo jurat.  
(Est enim quasi quaedam Confessio & agnitio subjectionis hoc juramen-  
tum.)

tum.



um. Confessio autem non inducit obligationem aut dispositionem novam, sed inductam firmat & probat.) Et vice versa non ideo quis superior est, quia recipit hoc juramentum, sed quia superior est, ideo recipit & exigit id ipsum, indeque si subditi prestare recusant, ad id compelli possunt. Vid. Reink. Lib. I. Class. V. cap. IV.

§. XII.

Hiscæ ex jam dictis finis hujus juramenti eò melius conspici potest. Est autem iste *vel ultimus*, nempe salus universæ Reipublicæ, *vel subordinatus*, securitas videl. Principis; solo enim juramento Principes tuti sunt *Conring. ex Symmach. 16. de diff. Reg. lit. c.* & obedientia atq; fidelitas subditorum, ut scilicet quilibet subditorum sibi curæ velit esse vitam, corpus, honorem & commodum Domini, *getreu/ hold und gehorsam zu seyn/* & hæc obedientia non solum secundum externum, verum etiam secundum internum actum debetur Principi. Equidem, unusquisq; subditorum pro fine suo debet intendere salutem Reipublicæ atq; Principis, etiamsi juramento se non obstrinxit; tamen abs re non est, quod populus olim & hodie fidem juratam dare necesse habeat. Hominis enim voluntas est mutabilis, & facile ab affectibus aliisque cupiditatibus eò potest redigi, ut bona negligat, & in pejus contra ruat. Ad hanc igitur voluntatis mutabilitatem præcavendam & evitandam, populus juramento ad hunc observandum finem sese obligat, quem tamen injuratus præstare nihilominus teneretur.

§. XIII.

Et quia variæ hujus juramenti dantur divisiones, ideo nec istas prorsus intactas præterire possumus; Sed communissimas, quas pro ratione nostri propositi putamus sufficere, adducere volumus, plures autem qui legere cupiunt, ad Jurisconsultos & Politicos istos remittimus. Dicitur autem istud esse (1). *Vel personale vel reale.* Personale est, quod præstatur ratione personæ, & verè arguit subjectionem personæ. Reale contra quod non præstatur ad inducendam vel arguendam personæ subjectionem, sed rerum in alterius territorio possessarum recognitionem, conditionem igitur personæ ratione

juris-

jurisdictionis non afficit, sed rem principaliter, personam autem duntaxat ratione bonorum & onerum, quæ personis pro rebus imponuntur. Unde multos in Romano Imperio videmus, qui ratione rerum Principi homagium præstant, ratione autem personæ omnino Liberi & nemini, nisi Cæsari, subjecti sunt. Et tali modo aliqui respectu diversorum bonorum alii atque alii jurisdictioni subesse ac plures & diversos Dominos agnoscere possunt. *Vid. Reinking. Lib. I. Class. V. cap. IV. p. 556. & Wehm. Præf. Observ. p. 464. §. XIV.*

(II.) *Vel personale, vel hereditarium.* — Illud est, quod solum ad illam personam, cui istud præstatur, restringitur, & jurantes subditos saltem ad dies vitæ actu regnantis Principis obligat. Tale homagium Poloni dicunt. Hoc verò, quod subditos cum ad regnantis Principis personam, tum ad ejus hæredes masculos, sicut in Electoratu nostro Saxonico usitatū, vel etiam simul fœminas, quale Dani & Angli Regibus & eorum successoribus jurant, ligat & obligat.

§. XV.  
(III) Quoniam dantur subditi, qui simpliciter tales, & dantur etiam, qui secundum quid seu certa quadam cum conditione sunt subditi, ideò & homagium dicitur esse vel *purum s. illimitatum, vel impurum s. limitatum.* Purum seu illimitatum id appellamus, quod nullas prorsus involvit conditiones, sed quando subditi, simpliciter tales, pure & sine restrictione imperantibus *παμβασίλειαν* tradunt, ipsisque obedientiam jurant. Limitatum verò vocamus, quando variis sub conditionibus obsequium Imperantibus promittitur. e. g. quando in certis quibusdam casibus duobus diversis Principibus juratur. Idem fit, si ad certum tantummodo tempus, & ad certum eventum restringitur homagium, aut quando conditio aliqua ponitur, qua negata & fidelitas negatur v. g. si ad hunc modum juramentum concipitur, daß sie neml. ihren Herren unferthänig, treu und hold seyn wollen / so lange sie von ihnen bey ihren Gerechtigkeiten / Freyheiten / nnd andern hergebrachtten Gewohnheiten gelassen werden.

Plura legibus circumscriptus pagellarum numerus addere vetat.

SOLI DEO GLORIA!

zell/m 001 / MAG / P3

2009 8 020636

SLUB DRESDEN



3 1605161

Dieser Band wurde 2005  
durch Bestrahlung sterili-  
siert. Verfärbungen stellen  
keine Gefahr dar.

